



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

12 De Iuliano Cæsare quædam obseruatione digna adnotantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

talibus est vinculis exuendus? Quae quidem verba plane poterunt ex superius traditis explicari, vt illa Plinii *lib. 10. epistola de testamento L. Argi.* Rogauit inquit testamento, vt hereditatem suam adirem, cerneremque, ac deinde perceptis 50000. nummum, reliquum omne Heracleotarū & Theanorum ciuitatibus redderem.

Ex quibus apud Gratianum *cap. vii. distincti.* r. legendū erit: vel creditioibus, vbi falso legitur curationibus, nam & apud ipsum Isidorum *lib. 5. ca. 9.* extat adhuc vera & integra lectio. vt itur elegantissime hoc verbo Prudentius in hymno de Epiphania: Altrice te, summo patri haeres creator vnicus, Homo ex Tonantis spiritu, Idemque sub membris. Deus, Hunc & Prophetis testibus, iisdemque signatoribus Testator & sator iubet Adire regnum & cernere. Hinc & error constat Nonii Marcelli, qui cernere hereditatem interpretatur in hunc modū, vt filii dicantur cedere patribus hereditatem.

CAPVT XI.

SYMMARIVM.

Inscriptio quaedam apud Gentianū expenditur, veraque eius lectio restituatur.

Gratianus omnium, quos illaetas tulit, vir diligentissimus: ex vniuersalis ecclesiae prouinciarumque synodis, nec nō ex Augu. Hier. Chrylost. & aliis aureum decretorum librum non vulgari industria concinnatum nobis relinquens: magnam iuris diuini & humani professoribus utilitatem adeo comparauit, vt plane qui eius lectionē vel omiserit, vel negligenter fuerit ingressus, multarum rerū cognitione priuatus. iure sit ex albo eorum delendus, qui iuris diuini & humani professores censentur. Tot tamen scateat liber is mendis iniuria temporum, vt si de republ. ac re literaria bene meritissimus censendus, qui huic auctori emendando ac corrigendo, totque maculis expurgando operam dederit. Nos equidem quandoque id facere constitimus, cuius laboris iudicium fortassis, & in his quae publica iam fecimus, & quae dum vixerimus, typis tradentur, satis erit lectori cognitum, & tamen tercentum fere locis iam animaduersis, ac restitutis superferendum fore decreuimus, quod nobis fuerit compertum, Antonium Augustinum Romae huic negotio egregiam adhuc operam impendisse prope ad vmbilicum. Cuius eruditioni. variaeque lectioni, ac diligentiae cedentes vt par est. minime veremur aliquot loca expendere, dum plura difficilioraque ab aliis suo iuri restituta speramus. Extat apud Gratianū in scriptio quaedam. *13. qu. 2. ca. de neptris.* his sane verbis: Idem Saceratio Rege Aragonum. Cui titulo, vt & plerisque aliis parum fidendum esse censuit Ioan. Valesus, vir diligentissimus in chronicorum Hispaniae priorum *Tomo. cap. 18.* & merito, cum ex regibus Aragonum nullus nomen hoc vnquam habuerit, nec alicubi eius mentio. Nos locum istum ita castigandum esse censimus. Item Sanctio Aragonum regis. huiusque castigationis ea est non leuis ratio, quod Anton. Beuter canonicus Valentinus res illius ciuitatis memorabiles fermone Hispano erudite ac studiose describens, eiusdem historię meminit cuius & a Gratiano mentio sit, commemorans *lib. 2. cap. 8.* Sanctium Aragonum regem strenuum cuiusdam militi, infamiae tamen sortis homini, neprem vel ex fratre vel ex sorore, vxorem iuramento prestito despōdiffe, ob insignem regi nauatam operam in reb. militariibus, quas rex ipse praecclare gessit aduersus Christiani nominis hostes, qui tunc ex Arabum gente totam fere Hispaniam occupauerant. ea vero spontalia omni conatu neptē repudiasse, idque cōtigisse scribit anno ferme a Iesu Christi redemptoris nostri natiuitate 1083. Qua de re consultus postea summus ecclesiae pontifex Urbanus secundus, qui promotus est ad summum pontificatum, vt historici tradidere Anno 1087. Sanctio Regi respondit. non esse cogendam eius neprem maritum accipere, in quem nec ipsa consensisset, nec consentire vellet. Qua ratione Pontificia despōsio adscribenda est Urbano secundo, non Hormisdā pontifici. Nam etiam si eiusdem quaestiois caput secundum Hormisdā pontificis sit ad Eusebium Episcopum, id tamen responsum, qui ex paleis est deduci e medio debet, & caput tertium ad Sanctium Aragonum rem destinatum adscribi debet Urbano, cuius est caput illius quaestiois primum, idque ratio temporis maxime suadere videtur, siquidē Hormisdā pontifex summus ad eam fuerit dignitatem electus

anno domini 517. quo tempore, & multo post quingentesimo fere annis nondum habuit initium Regum Aragonensium principatus.

Denique apud Ioannem Carnotensem in Pannonia *lib. 6.* praecitatus Gratiani locus adscribitur Urbano ad Sanctium Aragonū Regem. Quamuis decreto Iuonis Louanii opera Ioan. Moli. in lucem edito, falso legitur: Satino regi Aragonum *part. 8. capit. 24.*

CAPVT XII.

SYMMARIVM.

Apud eundem Gratianum de Iuliano Caesare quaedam obseruationes hinc adnotantur.

Vndecima causa, & quaestio tertia inquit Gratianus. Item Ambrosius, Iulianus Imperator, quamuis electa postata, habuit tamen sub se milites, quibuscum dicebat, Prodicite aciē pro defensione reipub. obediebant ei. Cum autem diceret eis, prodicite arma in Christianos, tunc cognoscebant Imperatorem caeli. Haec inquit Gratianus. nā apud diuum Ambrosium in his operibus, quae eius titulo modo extant, & publice typis traduntur, nondum potuit locum istum deprehendere. Extat tamen apud D. Augustinum in *Psal. 124.* qui omnino legendus erit, eadem caus. & quaestio. *3. Iulianus sub cap. Impera.* ex eodem Augustino & Iuone Carnotensi. *par. 5. cap. 7.* Verum apud Gratianum illud est primum obseruandum Iulianum Caesarem dictum fuisse apostatam ex eo, quod cum primum in Cappadocia non longe a Caesarea cum Gallo Caesare simul educatus & institutus ita fuisset, ut praecceptoribus vt non verbis modo, sed & factis studium ardoreque in religione Christiana insigniter ostendisset. demum ariolorum consuetudine adductus, ac Libanii sophistae, qui tūc Nicomediae ludum aperuerat, quā in vrbe translatus erat Iulianus iussu Imperatoris Constantij, clam libris comparatis, cum ad eum accederet ei fors interdictum, eundem sophistam diligenter imitatus pietatem Christianam primum abiicit, deinde à Maximo Philosopho, non Byzantio sed Ephesio, non mediocriter ad imparandi libidinem ariolorum sacris initiatus excitatur, & ad Christianismi odium producit. Quae ratione in grauium rerum suspicionem cum Constantio incidisset, capite tonso ad eam suspicionem tollendam monachus factus est, atque ita, quem antea re vera repperat, cum falso praese tulit Christianismum, atque occulte philosophiae operam dedit, aperte autem in lectionum Nicomediae ordinem lectus, sacras publice legit literas, donec adhuc superstitie Constantio, & eo mortuo imperio potitus, tam impudenter religionem Christianam abiurerit, vt ipsum etiā pernegauerit Christum, ac repente simulationi quoque illi, qua Christianum se esse finxerat, nuncio remisso, demonum templa frequentauerit sacrificans, simulque pontificem seipsum appellans, Gentilium mysteria, ritus, & sacrificia, diesque festos paganorum agere permiserit. Haec sane constant ex Socrate *lib. 3. histor. eccles. cap. 1.* Theodorito *lib. 3. capit. 2.* Sozomeno *lib. 5. capit. 2.* Nicephoro *lib. 10. cap. 1. 2. & 3.* Cassiodoro in tripartita *capit. 1. 2. & 3.* Sed & ipse Socrates *lib. 3. capit. 14.* Iulianum expressim apostatam appellat. Et quidem merito, cum & victimarum gentiliū sanguine sacrum baptismi lauacrum si abluerit, atque seipsum à miseris ecclesiae ex autoratū excluserit. Quod iudem auctores tradidere, praesertim Sozomenus *lib. 5. ca. 2.* Chrylost. *lib. vno contra gentiles.* Gregorius Nazianzenus in oratione *1. contra Iulianum.* Nicephorus & Cassiodorus in praecitatis locis. Ex quibus intelliges, quae D. Ambrosius in oratione de obitu Theodosij Imperatoris de Iuliano ita scribit: Inde reliqui Principes Christiani, praeter vnum Iulianum, qui salutis suae auctorem reliquit, dum philosophiae se dedit errori, inde Gratianus & Theodosius haec Ambrosius. Sed & impius hic Iulianus eo furoris prouectus erat, vt Christum per contumeliam Galilaeum appellaret. Hoc etenim nomine Iesum Christum, & Christianos omnes ex cōuitio quodā appellasse, auctores sunt in hist. eccl. Socrates *lib. 3. c. 12.* Theodor. *lib. 3. c. 8. & c. 21.* Sozomen. *lib. 5. c. 4.* Cassiodo. in tripartita *lib. 6. c. 44. & 47.* Ruffin. *lib. 10. hist. eccl. c. 35.* Nazianzenus in dicta oratione: Ioan. Chrylost. *libro vno contra gentiles.* Hieronymus in episto. ad magnum oratorem & Nicephorus *lib. 10. c. 4. & 20.* Impietatis & blasphemiae temerarius hic princeps tandem poenas dedit diuina ultione punitus, quippe qui in bello Persio prope Ctesiphontem vrbe, incertum an ab hoste, vel à suis fuerit occisus, & ore proprio diuinae

maiestatis iudicium confessus dixerit, quum à vulnere cava manu sanguinem hausisset, atque eum in cælum, veluti in Christum conspiciens, coniecisset, perinde atque cadis fugantem in eum referret, calamitatis auctorem intelligens, Vicisti Galilæe, vicisti, sicuti commemorat Theodoritus li. 3. cap. 25. Cassiodorus *Tripertita* li. 6. cap. 47. & Nicephorus li. 10. cap. 35. qui & illud refert, Iulianum iam moriturum, animum secedente à corpore, diuinius quodam modo quam pro hominum capto potuit, oculos intendisse ita, ut Christum viderit, & exclamasse: Saturare Nazarene. His quidem rationibus conitatur iure dictum fuisse Iulianum apostatam, quo nomine ignominiose eum appellauit Marius Chalcedonensis episcopus ex oculo suo suffusione cæcus manu à puero eoductus, ubi Constantinopoli Fortunæ in Basilica, in qua eius deæ statua collocata fuerat ipse Imperator sacrificaret, auctoribus Cassiodoro li. 6. *Tripertita*. c. 6. Socrate li. 3. c. 12. Sozomeno li. 5. c. 4. & Nicephoro li. 10. cap. 23. quibus apparet, Iulianum eidem episcopo respondisse, non tantum posse eum, quem ille coleret, Galilæum, ut cæcitate eius mederetur. Cui episcopus magna cum dicendi libertate occurrens, gratias, inquit, ago seruatori meo Deo, qui vestrum amitterem curauit, ne impurissimum vultum tuum ad impietatem declinarem conficerem. Verum & ante Iulianum Imperatorem Christianos dictos vulgo fuisse à gentilibus Galilæos, deduci poterit ex Arriano de Epicteto *lib. 7.* Nam & Christus vocatus est Galilæus Matth. c. 26. c. 7. quod frequenter verus est in Galilæa *Ioan. capit. 4.* aut propter Nazareth & Capharnaum, in quibus habitabat, *Luce. 2. c. 4.*

Secundo obseruandum erit Iulianum Cæsarem apostatam, & Parabatem, milites Christianos habuisse, qui pro imperii Romani maiestate sub eo militarunt, quos tamen dolo ad deorum gentiliu sacrificia donatiu ea de causa dato, pellicere tentauerit, ut accepto donatiu simul & thus acciperent, idque adoleret ad ipsius Iuliani imagines ex veteri instituto, quibus Iouis Martis, & Mercurii erant insuper depictæ. Quo quidem dolo cognito penitentes milites donatiu liberissime eum martyrii affectione profiterentur, quos imperator ita quidem comotus à cæde abstinens ex auctoritate ex aula imperiali exegit, cuius rei auctores sunt Sozomenus li. 5. cap. 17. Cassiodorus li. 5. *Tripertita*. cap. 30. & Nicephorus li. 10. cap. 13. Iuste vero posse Christianos milites, qui pagano principi subditi sunt, eo imperante militare, modo bellum sit iustum aut iniustum præsumatur, quod in dubio ita est accipiendum, ex eodem cap. adnotarunt illic Dominicus Præpositus Cardinalis sancti Sixti, Hugutio, & veteres quidam, quibus mire patrocinatur diuus Augustinus li. 22. contra Faustum Manichæum *capit. 75.* à Gratiano relatis in *capit. quid culpatur. 23. qu. 1.* Cuius verba hoc in loco obiter subiciam, quia penes Gratianum non plane ac sincere leguntur. Cum ergo vir iustus, si forte sub Rege homine etiam sacrolego militet, recte possit illo iubente bellare, ciuicis pacis ordinem seruans, cui, quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est, ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruendi. Hæc Augustinus. Ex quo & in specie idè probat Paris Puteus in *tract. de militari* li. 2. qu. 11. quo in loco tractat, an Christiani possint licite milites infideles in eorum auxilium, vel ut sub eorum vexillo, & ducatu militent, stipendio conducere, & in bellum aduersus Christianos sibi hostes aduocare. Cæterum, Christianos frequenter sub paganis imperatoribus olim militasse satis cõstat lectori ex varia veterum historiarum lectione. Nam & Christiani milites sub Marco Aurelio Antonino merentes in summa siccitate, rerumque omnium extrema inopia genibus flexis, Dei opem implorantes, hostibus fulmina, M. vero Antoni milites & exercitui pluuia precibus à Deo impetrarunt. Ex quo hostibus maxime territis, ipsis mirum in modum recreatis, bellum Marcomanicu Sarmatis, Randalis, & Quadis extinctis, Paononisque libertatis confectum est: quem admodum scripserat Tertullianus in Apologetico. c. 5. & in libro ad Scapulam. Eusebius li. 5. *eccl. hist. lib. 5.* Paulus Orosius *lib. 7. capit. 15.* & Nicephorus li. 5. *eccl. hist. lib. 5.* Paulus Orosius li. 7. cap. 15. & Nicephorus li. 4. cap. 12. Extat & ipsius M. Aurelij epistola post Iustini martyris orationem secundam pro Christianis, in qua ipsemet imperator victoriam istam precibus

Christianorum se obtinuisse fatetur. Cuius rei & profani historici nempe Iulius Capitolinus, & Dion Niceus in M. Aurelio, & ex nostris Eutropius meminit, miraculum hoc Christianorum precibus contigisse fere supprimentes. tamen si Xiphilinus idem quod Eusebius tradiderit, tribuens id legioni Melitinæ, quo nomine & ab Eusebio Christianoru legio ista vocata est ab vrbe Melitina, in qua forsitan stationem habuerat, ex Iosepho li. 9. de bello Iudaico ca. 4. cuius vrbis mentio fit à Nicephoro li. 7. cap. 7. led & is auctor in d. cap. 4. commemorat post Eusebium, hanc legionem prærogatiua quadam apud principem in exercitu obtinuisse locum, & ab Imperatore nomen *scilicet* id est, fulminatrici habuisse. eiuſdem nominis meminit idem Xiphilinus in M. Aurelio tamen consuetudine tempore Augusti ex Roma. legionibus vnam hoc idem nomen habuisse, quod Dion memorie tradit in lib. 55. existimat tamen Xiphilinus ex eo, Dionem meminisse huius legionis hoc nomine, quod iam eius ætate nomē hoc ab ipso M. Aurelio Antonino obtinisset. Sed & sub Maximiano Imperatore militauit ex Christianis Thebaorum legioni quæ à Thebi Aegyptus missa fuerat & eum Imperator in Sedunoru finibus iussit, milites exercitus dijs gentiliu sacrificare. hæc quidem legio à reliquo agmine discessit, ne impijs sacrificijs interellet, quod grauius tulit Imperator, ipsisque militibus constanter respondentibus, se Christianos esse, & à talibus sacrificijs religione, à qua minime sibi esset discedendum, pro heri, ira odioque in Christianos accensus, Thebaorum legionem pœnas dare iubet decimo quoque milite trucidato, quam pœnam semel & iteru Christiani, auctore Mauricio, subire maluerunt, quam imperata facere. Postremo Maximiano non ferente Christianorum constantiam, vniuersi milites à reliquo exercitu illius imperio conciduntur. Erat etenim apud Romanos vetus militaris disciplina instituta, & quoties legio aliqua, ut militum multitudo deliquisset, præter centuriones, signiferosque, reliqui decimo quoque ad supplicium forte lecto, punirentur. Quod satis deducitur ex Lulio li. 2. *de cadu* 1. Cicerone in oratione pro Aulo Cluentio, Dionysio Halicarnassæo li. 9. Plutarcho in Crasso, Sozomeno li. 5. *eccl. hist. lib. 5. cap. 9.* & Nicephoro li. 10. cap. 8. Ex quibus constat quid apud veteres auctores sit, decimare milites, ac rursus decimare populum, cuius punitionis iterum Plutarchus meminit in Marco Antonio. Poterit lector de hæc Thebaorum legione, & eius martyrio his addere, quæ scribit Wolphangus Lazius li. 5. *Roman. repub. c. 8. & li. 4. c. 8.* multa de supplicijs militaribus. Etenim Cornelius Tacitus li. 3. & li. 8. Appianus Alexand. li. 2. & 3. *bellorum ciuiliu* decimationis militum meminere, sicuti & centesimationis Capitolinus in Macrino, ac rursus decimationis, idem & Florentinus in quarto, ac Polybius in libello, de *castrametatione Romana.*

CAPVT XIII.

SVM M RIVM.

An vera sint quæ de Anastasio II. Romana ecclesia Pontifico Gratianus tradit.

Decimanoa distinctio capi. penultim. hæc Gratianus refert ex libro Pontificali. Anastasius secundus natione Romanus fuit tempore Theodorici Regis. Eodem tempore multi clerici se à communionem ipsius abegerunt, eo quod communicasset sine consilio Episcoporum, vel presbyteroru, & clericorum cunctæ ecclesiæ Catholice diacono Thesalonicensi nomine Phorino, qui communicauerat Acatio & quia voluit occulte reuocare Acatium, & non potuit, nutu diuino percussus est. Hæc Gratianus. Addit interpret: Quia dū assellaret, emisit intestina Sed & hæc in Anastasio secundo Platina, & Volaterranus li. 22. tradidere ex Gratiano, vel, ex libro Pontificali. Idem Gratianus hoc repetit i. qu. 1. cap. dictum. ex gestis Romanorum Pontificum.

Cæterum Albertus Pighius li. 4. de *eccl. hierarchie*, cap. 8. multam aduersus Gratianum candescit in iram, pio quidè animo, & feruentissimo in Apostolicæ sedis maiestate zelo: quippe qui omni conatu cõtendat, summos Pontifices, qui post Petrum sedem illà obtinuerunt, à labe hæresis profusus immunes fuisse. Nos missa modo facimus, quæ doctissimus ille vir de alijs Pontificibus tractat, ea etenim nunc pertrahere nostri non est instituti. hunc tantum Gratiani errorem ipsum sequuti conabimur plane, ac funditus evertere, lectorem admonentes, quod non semel fecimus,